

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**D. Laurentii Heisteri Profess. Pvbl. Helmstadiensis
Academ. Caesar. Regiae Lodin. Ac Berolin. Collegae
Compendivm Anatomicvm Totam Rem Anatomicam
Brevissime Complectens**

Cvm Figvris Aeneis

Heister, Lorenz

Norimbergae, MDCCXXXII.

VD18 90513142

De Collo, Tertia Trvnci Parte.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9909

DE COLLO, TERTIA TRVNCI PARTE.

263. *COLLV M*, est tertia pars truncī, tenuior scilicet illa, inter thoracem & caput sita: a sterno & claviculis ad caput se extendens. Constat ex

Tegumentis communibus.

Vertebris, ut plurimum septem.

Musculis, multis, caput, collum, laryngem, pharyngem, os hyoides, &c. moventibus.

Arteriis, carotidibus, internis & externis, atque vertebralibus, valde insignibus.

Venis, iugularibus, internis & externis, venisque vertebralibus, admodum magnis.

Nervis, magnis, paris vagi, intercostalis, recurrentibus, diaphragmaticis & brachialibus.

Medullæ spinalis parte.

Aspera arteria, sive *Trachea*, præcipue *Larynge*, in quo pomum Adami hic eminet.

Pharynge & Oesophagi parte.

Glandula thyroidea aliisque minoribus glandulis.

264. Actum vero iam est de *Vertebris* eius N. 116. ad 120; de *Aspera arteria* N. 259, & de *Oesophago* N. 262. Sed de medulla in spina, *musculis*, *arteriis*, *venis* & *nervis* infra speciatim dicturi sumus: non enim negligenda vel omittenda est colli consideratio, ut multi anatomici consueverunt: quia partes continet haud minoris ad vitam momenti, scituque haud minus necessarias, quam abdomen; quæ propterea indicandæ a docentibus, & probe noscendæ a discentibus. Hinc etiam ab *Aristotele*, *Ruffo*, *Oribasio*, *Coitero*, *Riolano*, *Ruy-schio*, *Morgagnio*, aliisque, in suis corporis divisionibus non omittitur, & a reliquis partibus distinguitur; quia neque recte, neque commode, aut ad caput, aut ad thoracem referri potest.

DE



DE CAPITE, TRVNCI QVARTA PARTE.

256. CAPUT, quarta trunci pars, est omne id, quod supremæ colli vertebræ insistit. In hoc notanda

Figura: rotundo- oblonga, quodammodo ovata, eminens anterius & posterius, ad latera vero complanata: sic tamen, ut anterior pars, præsertim circa frontem, minus lata, quam posterior. Figura huic contraria, vel ab hac recessens, deformitatem, atque sæpe iudicii læsionem, & infert & indicat.

Magnitudo: proportionata sit corpori: magna enim vel parva nimis, vitium non solum formæ, sed & iudicii plerumque producit. Præstat tamen caput paullo maius, capite nimis parvo: quippe in quo plerumque etiam parum iudicii.

Situs: in suprema corporis parte, ob utiliorem organorum sensuum, quæ in eo continentur, & animæ quasi satellites sunt, in loco altiori positio-

nem.

Divisio superficiei, in partem

{ non capillatam, quæ facies dicitur, organa sensuum, ut visus, olfactus, gustus, auditus &c. continens; &

capillatam: cuius pars anterior, *sinciput*; posterior, *occiput*; suprema, *bregma* & *vertex*; laterales vero partes, *tempora* audiunt.

Partes constituentes: quæ sunt vel *continentes*, vel *contenentes*.